





40
OLEUM
ANIMALE DIPPELII.

PERMITTENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA

P R Æ S I D E

BURCARDO DAVIDE
MAUCHART,

MED. ET CHIR. D. CONSIL. ET ARCHIAT.
WIRTEMB. AC MED. ANAT. ET CHIR.
PROF. ORD.

DISPUTATIONE INAUGURALI
P R O L I C E N T I A

Honores ac Privilegia Doctoralia rite consequendi
illustrabit

R E S P O N D E N S

CHRISTIAN. LUDOVICUS REINHARDT,
Ebertingensis.

D. *Nov. A. MDCCXLV.*

T U B I N G Æ,
Literis BAUHOFII & FRANCKII.

OLIVIER
AMMANN

GRAND FACILITATE

BURGARDO D'AV

Historie des ...

CHRISTIAN ...

D. ...

FRANCK
LEONHARDT & FRANK



PRÆFATIO.



In mecum deliberavi, quodnam præ aliis Inauguralis Dissertationis eligerem Thema, interim decisum consilii mox ob oculos erat hoc, ut exquirerem tale, quod qualescunque meos profectus, & in theoretica quadam Medicinæ parte, & prospectum in futuram praxin testari posset non vanos. Arrisit eo fine quam maxime illa materia, quam Dissertationis inscriptio indicat; etenim id simul ab ea prævidebam commodi, ut objectum sub manibus esset, cui pertractando, si cui, pares tamen magis essent humeri; nimirum a primis annis, cum diu satis Pharmaciæ navarem operam, eamque ultra viginti annos excolerem, tot, & toties etiam laboribus interfui, ipsamque admovi manum chymicis, ut non vanam affectare videri forte possim gloriam, si dixerim, in Chymicis aliquid expertum me fuisse, erant enim hæc lectiones plus, quam decies, imo centies repetitæ. Est autem rerum chymicarum tanta certe multitudo, ut, si vel sola cogites gravissima themata, in manus incidant infinita, unde rationem forsitan desiderabit quis, cur in tanta rerum copia hæc mihi placuerit, nec alia? Est autem hæc: meditabar tale Thema, de quo, si non multum, tamen aliquid novi etiam possem dicere, certe, quod non distinctis satis, & completis observationibus publicis cum literario communicatum esset orbe, atque hoc fieri posse suspicabar illa hujus Thematis pertractatione, quam præsens offert dissertatio, in qua non modo singularem propono methodum, præparandi breviori manu illud animale oleum, (licet probe sciam, multum illius esse jam traditum in Commercio literario Norico abs Pharmacopola Petropolitano Domino Model, cujus quidem recensio neque prolixa satis videtur, neque cum meis observationibus prorsus convenit,) sed & ostendo insuper, quod in multis aliis, etiam animalium partibus; quin & in aliis etiam animalibus, ac quidem

cervo, simile hoc oleum, similibus dotatum probabiliter viribus occurrat lateatque; imo vero, quod ipsum etiam Vegetabile Regnum corpora nutriat, quæ oleum fundunt odore, sapore, aliisque qualitatibus ab oleo animali Dippelii nullo discernendum modo. Tandem vero neque hoc reticeo, hoc oleum propterea excussione publica dignum mihi visum fuisse, quoniam in Medicina tam extantes ac egregios præstat usus, tam interne quam externe, atque humano corpori forsitan non sine ratione convenientius videtur aliis remediis, quoniam ex ipsa nascitur animali Oeconomia, & ejus quidem nobilissima purpura; Existimavi autem, judicium medicum de illius modo agendi multo fore facilius, si præmiserim non modo ipsam præparationem Medicamenti, sed & omnia, quæ sub oculos cadunt, experimenta de qualitatibus ejusdem externis, hæc enim demum solidum sternunt fundamentum pro stabilienda rationali Theoria modi agendi, si conjungantur cum ipsa partium contemplatione, in quas agere Medicamentum supponitur.

Itaque primo determinavi, quid per oleum animale Dippelii vulgatum intelligatur? Descripsi etiam processum, quo Dippelius parari jussit illud; Secundo autem recensui compositiones similia proffus oleorum ex aliis quoque animalium partibus, ac sanguine, dein & ex aliis animalibus in genere, ac Cervo, postremo autem & ex vegetabilium partibus ductorum, & propria quidem, specialique singulorum destillatione. Tertio vero inquisivi variis experimentis in naturam hujus olei, vel oleorum potius, & chymico quidem oculo; Quarto attuli usum olei hujus in Medicina omnem, atque modum illud adhibendi, tam externe, quam interne, docui exacte; quibus propositis addidi vel tandem examen ejus modi agendi, quod consuebat ex iis, quæ chymica ejus consideratio dictitabat, & iis, quæ de conditione partium humani corporis, in quas agere Medicamentum debet, sciuntur; Studii autem in omnibus brevitati, nihil tamen prætermittendo, quod ad excutiendam rite materiam hanc facere mihi videbatur. Faxit modo DEUS, ut omnia cedant in sui nominis gloriam, ægrorumque salutem!

§. I.

§. 1.

Oleum animale Dippelii est oleum destillatum empyrevmaticum, e sanguine cervi siccato, per destillationem, repetitasque rectificationes usque ad illud punctum, quo limpidissimum sistitur, & fluidissimum, celebrandas, eductum, abs celebri Chymico, Dippelio, & inventum, & in Medicinam introductum.

Definitio animalis Dippelii olei.

§. 2. Est igitur oleum hoc: animale, utpote quod ex incola regni animalis provocatur; Patebit autem infra, quod oleum hoc, quia rectificatum jam supponitur, stricte loquendo non empyrevmaticum dici amplius queat, quoniam scilicet repetitis illis rectificationibus non modo nigredinem, sed & empyrevmaticum factorem, aliasque empyrevmatici olei qualitates tantum non prorsus exiit.

§. 3. Interim tamen empyrevmaticum ideo dici posse videbatur, quoniam, ut in sequentibus patebit, non tantum factum empyrevmaticum supponit, sed &, ubi jam prorsus elaboratum atque purissimum est, tamen adhuc cum tempore partes empyrevmaticas intime sibi immixtas manifestissime prodere videtur, testarique.

§. 4. Unde simul patet, olei hujus summam puritatem, de qua persuadere nobis existimamus ejus limpiditatem, atque singularem odorem, non amplius empyrevmaticum, apparentem saltem esse, interim tamen eo ipso ita comparatam, ut quoad olei effectus in mirrocosmum, illud non facile possimus dijudicare atque contemplari tantquam empyrevmaticum oleum.

§. 5. Hinc simul in antecessum generaliter concludimus: posse corpora esse aliis immixta & inclusa, sic, ut plane novum nascatur compositum, ex mutata saltem partium componentium proportionem, ipsaque combinationis methodo; Imo vero nec licere eum de illis adjectis partibus abstracte cogitare, quoniam in concreto tam differenter sese habent, ut vel ipsis sensibus, quibus possunt & poterant subijci, jam plane nova rerum facies offeratur.

§. 6. Processus Dippelianus ab Hermanno Friderico Teichmeyerero in Institutionibus Chymicæ dogmaticæ ac experimentalis Anno

1729. edicis, p. m. 73. ita describitur: Dippelius purificationem oleorum destillatorum empyrevmaticorum ita suscipit: v. g. Recipit oleum sanguinis cervini, hoc immittit in retortam vitream, destillationem instituit, eamque sæpius reiterare solet, & tam diu, quam diu feces in retorta residuas observat. Impetratur ita oleum fluidissimum, limpidissimum, & quod deposuit omnem fere foetorem. Rectificatio absolvitur XX. circiter rectificationibus, est in omni destillatione nova retorta debet adhiberi, & ad manus esse, describitur autem idem processus ab eodem Teichmayero, Lib. eodem p. m. 103. paulo distinctius, sequentibus verbis: *R.* Oleum foetidum sanguinis cervi, immitte in retortam vitream, & igne arenæ, sive ex olla, sive ex catino, pelle moderato igne, ita affurgit pars subtilis olei, & stillat in vas recipiens, terrea vero spissitudo in retorta remanet. Repete hanc rectificationem XVI. vel XX. vicibus, uno verbo tam diu, donec nullum amplius impurum recrementum in oleo contineatur. Character vero hujus puritatis est, si in retortam vitream mundam, oleum inditum, quoad totam substantiam, affurgit sub forma liquoris limpidi ad instar aquæ, nulla relicta in retorta impuritate. In omni destillatione ac rectificatione hujus olei retorta nova ac munda, & similiter vas recipiens mundum ad manus esse debet.

§. 7. Quod si vero descriptiones has, & maxime quidem posteriorem pleniorum confero cum meis ipsis observationibus, & imprimis cum experimentis summi olim Viri & Experimentatoris, exercitissimi Boylei, quibus docuit: olea talia empyrevmatica creberrimis hisce rectificationibus fere tota quanta in terram, fecesque solidas resolvi, certe non possum, quin vel celebri Teichmayero, vel ex quo Processum descripsit, ipsimet olei animalis Inventori Dippelio virgulam adjiciam censoriam, quando prætendunt, oleum hoc ad tantam reduci posse subtilitatem, ut postremo nihil prorsus fecum relinquat in retorta; Hanc enim profecto conditionem impossibilem prorsus arbitror, partim ex iis, quæ jam allegavi, partim etiam ex iis, quæ infra dicentur.

Methodus
facillima &
brevissima
impetrandi
Animale
Dippelii oleum
e sanguine
cervi.

§. 8. Postquam igitur primis meis pollicitationibus satis feci, determinando, quid per Animale Dippelii Oleum vulgatum intelligatur, atque describendo processum, quo parari jussit illud Dippelius, proximum

proximum est, ut eam quoque proponam methodum, qua multo facilius, & breviori manu impetrari hoc oleum, binis scilicet rectificationibus potest; Hanc ergo, ut demonstrum, commodissimum erit, ire per exempla, & depingere verbis processum in caso speciali, ad quem dein reliqua exempla facile possint reduci. Et, quoniam vulgatum Dippelii oleum paratur e sanguine cervi, securissimum videtur, indicare processum omnium primo eum, qui, quomodo e cervi sanguine oleum hoc educatur? enarrat. Dicam igitur candidè, quomodo processerim, quidque fuerim expertus? Habui olei sanguinis cervi, ultimi nimirum sudoris e sanguine cervi siccato, destillationi commisso, quem summa potuit exprimere ignis violentia, purissimi ab omni phlegmate libras decem, & uncias undecim, sumsi hujus olei libras quatuor, has capaci retortæ, vitreæ, puræ, infudi sic, ut vix ventris repleretur dimidium, utque nec Cornutæ rostrum, nec vacua ventris pars commacularetur, retortam hanc satis profunde sicco immerisi balneo, adaptavi excipulum capax, ea saltem lege, ut exacte satis responderet retortæ ori, subdidi tum lenem satis ignem, nascebantur intra retortæ ventrem vapores, per ipsum prorepentes rostrum, passim in guttas collecti aquosas, passim pingues etiam ducentes lineas; perrexi eodem ignis gradu, & post quadrihorium impetravi liquoris uncias quatuor, quibus effusus novum applicui recipiens. Liquor ille omnis erat excolor ab initio, non tamen homogeneous, scilicet maxima pars erat oleosa, pinguis, albidula, supernatans paucissimo phlegmati, odoris penetrantissimi, singularis, non tamen acris, nec etiam empyreumatici talis, qualem alias spirare solent empyreumatica olea.

Urli residuum modo antea dicto ulterius, obtinui liquorem, priori fere similem, sed oleo jamjam citrino dilute gravatum, postquam hujus uncia prodierant octo, effudi eas, erat oleum priori omnibus simile dotibus, commisi omnem etiam hunc liquorem separato vitro, & postea reliquum destillavi ulterius, promanans autem liquor erat jam altius tinctus, & ignei quasi coloris, huncque pellendo perrexi, donec uncias iterum accepissem octo, tandemque a destillatione omni, quæ per viginti octo durabat horas, destitit. Liquor hic ultimus consistentia priores non æquabat, utpote notabiliter spissior, fortiusque olens, sub omni autem hac destillatione salis volatilis nihil

nihil profus sub forma comparuit sicca; liquores autem primi biduo jam primo colore mutati sunt, & notabiliter quidem, primo scilicet perfecte citrinum, medio autem dilute citrinum induente.

Cum ex ultima destillatione massa remaneret nigerrima, picæ in frigore consistentiæ, retortam semovi, atque novæ, mundæ, inclusi olei sanguinis cervi remanentis ex indicata supra quantitate libras sex, uncias undecim legibus ibidem traditis, processi cum iis, ut feci cum libris quatuor, profluebat iterum oleum cum phlegmate hic plurimum, quod quidem antecedens sal volatile siccum multum, & in rostri retortæ angustias, & in ipsum excipulum propulsum solvit penitus, postquam sic recipiens præterlapso sistorio contineret liquoris uncias sex cum dimidia, mutavi, & intra novem horas liquoris adeptus sum ultra octo uncias, sub hoc autem opere sal volatile nullum amplius sublimabatur. Ceterum liquores hi omnes erant, & manebant diu excolores, sed copia phlegmatis plurimum superabant oleum, passim etiam a copiosa salis volatilii solutione sublaetescabant, acrius olentes, ceterum quoad omnia prioribus similes.

Subdidi residuo in cornuta die subsequo denuo ignem, eumque, ut hætenus, lenem, sicque omni die perrexi, obtinui semper plus olei, sed simul etiam magnam phlegmatis, & salis volatilii copiam, quod posterius maxime sub finem liberaliter advolvit, erat autem oleum hoc in omnibus, ut prius, suo supernatans phlegmati, pepuli eo usque, donec eodem ignis gradu nihil amplius prodiret, quodque tardissime ad finem promanavit, flavo tinctum colore videretur; sic in genere computando destillationem quatuor librarum, & sex librarum cum uncis undecim multum impetravi bonorum liquorum, sed, postquam olea singula separavi sollicitè a suo phlegmate, confusaque ponderavi, æquabant libras duas, unciam unam. Prima omnium olea octiduo citius colorem contrahebant profus bruneum, admodum obscurum, sicque illa reliqui.

Sed olea illa secunda, confusa, novæ, puræ inclusi cornutæ, legibus iisdem, quas circa primam observavi rectificacionem, commisi sicco balneo, subjeci autem ignem vix majorem, quam requirebatur, ut bene retorta caleret, surgebant sensim sensimque vapores, qui quidem intra frigidius specificè rostrum pingues in guttas collecti defluebant in excipulum sub forma liquidæ subtilis, ætherii, oleosi, profus

prorfus excoloris, limpidiſſimi, penetrantiſſimi, odoris non tam empyreumatici, quam aromatici quadantenus, fracidi ſaporis, perrex eodem ignis gradu per biduum, pergebat etiam prodire liquor ſimilis, ſed, quod mirum eſt, non pauco etiam cum phlegmate mixtus adhuc nullo interim apparente unquam volatili ſale, imo vero maxime curioſum hoc erat, quod, cum jam ultra ſex uncias fuiſſet expulſum, ab affuſo novo priori oleo, mixtum in tria manifeſte diſtincta ſepararetur liquida, quorum ſuperius limpidiſſimum, medium quaſi e turbido lacteſcens, inſimum autem inſtar aquæ iterum limpium erat, tandem vero ex his iterum duo facta ſunt, ut hæcenus. Atque hoc quidem oleum ſic paratum, cujus ex his decem, & quod excedit, libris, puriſſimi obtinuimus ultra uncias octodecim, omni ſenſibili dote vulgatiſſimum illud Animale Dippelii oleum expreſſit, lagenulis poſtea vitreis, mundis, ſubere, ceraque ſigillatoria munitis ad multos menſes in hunc uſque diem ſervatum excolor.

§. 9. Cum vero eſſem curioſus, quid eſſem impetraturus ex aliis etiam cervi, & aliorum animalium partibus, imo vero, quid alia in genere animalia eſſent in analyſi chymica per deſtillationem dimiſſura? feci primo hoc experimentum, & ſelegi aliqua, quæ videbantur commodiſſima, quin & addidi ſpecimen e Regno Vegetabili, tentaturus, num non potiora olea foetida poſſem quoad eſſentialia reducere ad unum quoddam caput, & detegere univerſale quoddam principium, quod ea, tanquam olea empyreumatica quaſi ſpecificet, ut ſic loquar?

§. 10. Sumſi eum in finem notabilem quantitatem 1.) *Sanguinis Capricornis*, 2.) *Cornu Cervi*. 3.) *Cornu alcis*, 4.) *Pilorum Dorcadis*, 5.) *Lana ovina*, 6.) *Ungularum alcis*, 7.) *Ungularum caballarum*, 8.) *Viperarum noſtratum*, 9.) *Lumbricorum*, 10.) *Sericis*, 11.) Fecum vini exſiccatarum, hæcque ſingula corpora, per ſe ſiccifiſſima per retortam ferream, ut moris eſt, deſtillavi, atque ſic obtinui ex omnibus phlegma, ſal volatile, ſpiritum, oleumque foetidum, empyreumaticum, pro diverſitate tamen objectorum ingredientia hæc diverſa prodibant & ſingulorum productorum in genere conſideratorum inter ſe, & reſpectu aliorum corporum deſtillatorum quan-

Recenſio
aliam ma-
teriarum, pro
impetrando
ſimili qua-
dantenus
oleo.

B

titate,

titate, quæ quidem differentia hic tangi non meretur, utpote non ad rhombum faciens.

§. 11. Facta vero destillatione hac a singulis horum destillatorum corporum productis separavi sollicitè oleum, & singula dein olea commisi separatis lagenis vitreis.

§. 12. Sumsi secundo singula hæc olea, unum post alterum, eumque iis in omnibus processu exacte, quemadmodum §. 8. monui cum oleo sanguinis cervi pro parando Animali Dippelii oleo factum, novas ubique, mundasque adhibendo cornutas, & accepi cum omnibus omnino phænomenis, quibus ibi, oleum limpidissimum, excolor, æthereum, cum oleo Animali Dippelii e Cervi sanguine parato qualitate omni sensibili prorsus conveniens, nec etiamnum aliquam offerens differentiam, si ab ea discesseris, quod, quemadmodum crudorum, ut sic loquar, oleorum hic non tantum habeamus copiam, ita nec depuratorum eam possemus acquirere quantitatem, uti & reliqua rectificatorum harum producta multum quantitate superabantur eo sensu ab oleo sanguinis cervi.

Examen
oleorum ex
alienismate
vitiis educio-
rum, ipsius-
que veri.

§. 13. Nunc ergo in eo sum, ut experimentis variis inquiram chymice in naturam hujus olei, vel oleorum, etenim bona possum asserere fide, quod, quemadmodum singula primis jam qualitatibus sensibilibus prorsus inveni convenientia inter se, ita etiam in secuturis de iis exactioribus experimentis ne minimam quidem unius ab altero deprehenderim differentiam, utcunque meam acuerem attentionem. Primo quidem præterire non possum simplicem observationem hanc, quam quidem sub ipsis facere licuit destillationibus & rectificationibus, quod oleum hoc, vel semel rectificatum, sive linteo allitum candido, sive tabacario tubo recenti utrumque paulo post inunctionem colore infecerit, ac imbuerit rubello, grato, roseo. Alterum experimentum hoc erat: Oleum hoc vel politissimo affricatum corpori cuiusque momento fere disparuit, ne minimum quidem humiditatis post se relinquens vestigium; Tertium hoc fuit: Admotum linguæ sensationem molestissimam excitavit doloris urentis, rodentis, imo & dealbavit & enecavit illam linguæ superficiem partem, cui vel minima unquam affundebatur guttula, quotiescunque vero aliis in locis epidermicis

midi viventis hominis applicabatur sanæ, flavidinem post se relinquebat, & *diversis* quasi, ubi autem vulnerata simul erat cutis ibidem, dolorem in organo tactus creavit, quemadmodum supra in lingua. Quartum experimentum institui hoc: exposui oleum igni, & ita quidem, ut posset arripi a flamma, sic arsit actu, & cum flamma lucida fuit consumptum prorsus, quemadmodum solent alias sese habere destillata olea, consumptum autem fuit cum fumo penetrantissimo, per aëra sparso in longam distantiam, imo vero eidem etiam satis diu inhaerente. Quinto in eo quoque olei ætheri characterem observavit hoc animale oleum, ut aquæ affusum supernataret, & concussum cum ea quocumque modo lactescencia eam donaret, paulo post autem iterum sua sponte sub forma veri olei separaretur. Sexto: sincero adfufum alcoholi solutum fuit sine ulla vehementia, placideque, ut solent alia pati alias destillata olea; post mixturam autem talem leni ex alembico destillatum igne, fudit liquorem limpidum, oleoso spirituosum, balsamicum, penetrantissimum, ipso tamen mitiorem oleo simplici, ejus præcise indolis, cujus esse solent liquores, qui simili ratione impetrantur e destillatione oleorum essentialium vegetabilium cum alcoholi confusorum, exemplo decantati Balsami Vitæ Hoffmanni, si a specifico discedas odore, quem animalia ætherea olea, vel depuratissima, etiam aliis conjuncta volatilibus liquidis spargunt semper. Septimo tandem inprimis circa hoc animale oleum notari meretur singularis hæc qualitas, qua quidem sese videtur ab oleis æthereis vegetabilibus potioribus distinguere, ut scilicet non modo libero expositum aëri vasis apertis, vel non exactissime clausis paucis diebus, imo subinde horis colorem induat, eumque bruneum, obscurum, denique obscurissimum, expellendum rursus per simplicem lenem e munda retortula rectificationem, sed & a prima statim præparatione vasculis subere, ceraque sigillatoria munitis exceptum cum tempore tamen, post dimidium, integrumve annum colorem primo subflavescentem, dein pariter bruneum nanciscatur maxime, nisi æqualem semper, quantum est possibile, aëris temperiem, & frigidam, quam præcipue amat, experiatur, cui tamen non semel atque simul committendum est, atque hæc olei animalis hujus proprietas adeo certa est, universalis atque indubitata; ut, qui oleum hoc fideliter & sincere præparatum expetierit sine ullo additamento, etiam tali, super quo vel saltem

abstractum fuerit oleum, certe satis jam suspecto, & experierit quidem tale, quod vel aëri diu incautius expositum fuit, & calori simul, licet non nimio, limpinitatem & coloris absentiam seruet, vel & vasis exactissime clausis ultra spatium anni ad summum sine prævia nova simplici rectificatione sistatur adhuc excolor prorsus, eademque limpinitate, quam statim a præparatione præ se ferebat, fidelissimis etiam observatoribus multis albam desiderare videatur nigredinem. Interim, cum illa coloris alteratio plerumque conjuncta sit cum notabili odoris quoque immutatione in rudiorem, minus subtilem, magis jamjam empyreumaticum rursus, neque probabile sit, illam intra nostrum fieri corpus, necessarium erit utique, ut, cuicumque destinetur etiam usui medico hoc oleum, nisi recens sit, præviam semper experiat lenem rectificationem, & semper a liberi aëris actu, quantum fieri potest, præservetur.

An oleum animale Dippelianum differat ab analogis non e sanguine provocatis?

S. 14. Quodsi nunc a dictis paragrapho præcedente, ante ipsum quam usum hujus animalis olei proponam, transire licet ad problema practicum: an oleum animale paratum e sanguine cervi, ut jus sit Dippelius, differentiam sit exhibiturum effectibus in corpus humanum ab alio animali oleo, expulso e quovis corpore, ibidem denominato, legibus traditis, an vero non? puto commodissime hic posse inferi controversiam hanc, ita quidem tractandam, ut fatendum sit, a posteriori neque affirmativam, neque negativam posse defendi, cum certe observationes de singulis his animalibus oleis non habeamus, unde illi, qui etiam circa talia medicamenta provocant ad qualitates occultas, & verbi causa, contendere volunt, quod non animalibus modo in genere, sed & in specie his vel illis, ad hominem propius accedentibus, singulare quoddam insit elementum, aptius medicamentum futurum ægro homini, quam quod vel ex alio prorsus regno, vel & alio desumptum foret animali (cum qualitatibus vel occultissimarum tamen rationem fingere aliquam volunt,) licet infra sit evidenter appariturum, quod hujus rei vel minima nobis affulgeat probabilitas, necum sese miscere non debent, interim tamen nec in dubium vocandum, quod, si vel ullibi locum habeant argumenta ex analogia petita, quemadmodum profecto vana sunt nunquam, si prudenter administrantur, hic sane summa cum ratione possint applicari; etenim, quis fere dubitet, si bina, vel plura corpora, ratione faciei externæ, respectu odoris

odoris, & saporis, & aliarum qualitatuum sensibilium, ratione relationum diversarum ad alia corpora, & mutationum, quas aliis mista corporibus inducunt, quas corpori etiam humano aliquibus modis applicata exhibent, prorsus inter sese conveniunt, quin ægroto etiam infusum alterutrum humano corpori, sive applicitum extus similes præstiturum sit effectus, quos alterum, ut sic tuto unum alteri substitui queat? Adeoque problema hoc decidam hætenus per negativam, cum experimentis certe contrarium non sciam evictum, dicam autem propterea: saltem probabiliter differentiam inter hæc olea intercessuram nullam, ne temeritatis possim accusari illius, quoniam forte aliquid inest singulare principium, quod ego non cognosco, unde iure meritoque deceptores voco Pharmacopeos, qui pro eo, quod præscribunt Medici, animali Dippelii oleo quodcumque sumerent animalium oleum, etiam non e cervi sanguine paratum.

§. 15. Quem vero nunc usum præstat medicum hoc animale Dippelii oleum? & quomodo adhibetur? Usus ejus eximii fuerunt hætenus, & adhuc, imo vero tanti, qui de novo summam tæmatis hujus Dissertationis dignitatem tueri possunt, & exaltare. Laudatur imprimis tanquam celebre specificum contra Epilepsiam, ferocissimum illud, & rebelle adeo malum, contra quod mira certe jam effecit, apprime quoque convenit tanquam excitativum adæquatam iis, qui vel apoplexia, vel deliquio qualicunque, præsertim etiam lipothymia hysterica, syncope, atque similibus laborant, & quasi sepulci jacent, quin & solatur eas præcipue, quæ convulsiones sæpe hystericas patiuntur, iisque strenue sese opponit, tandem vero egregium etiam est nervinum, quale quidem maximopere semet exhibet in contracturis & paralyysi, apoplexiam, vel hemiplegiam insecta, quin omni etiam particulari, a quacunque nata causa.

Usus olei animalis Dippelii medicus.

§. 16. Quod jam spectat ad modum adhibendæ animale hoc Dippelii oleum, dividam illud in modum adhibendi *Externe ac Interne*, quæ commodissima est divisio ad omnia quidem applicabilis medicamenta.

Modus adhibendi animale Dippelii oleum.

Composita ex hoc oleo animali cum aliis medicamentis, quantum quidem ego scio, non prostant in officinis, itaque compositionem expectat demum a prudentia Medici pro ratione circumstantiarum faciendam ex

1.)
a.) Externe tanquam excitativum.

tempore, licet omnino hæc adeo necessaria non sit in medicamentis adeo efficacibus per se, interim tamen passim locum invenire possit pro re nata. Adhiberi autem potest externe vel per se, vel commixtum cum aliis valide odoriferis, e quibus ordinario eligunt: Spiritum salis ammoniaci, vel cum sale tartari, vel calce viva paratum, vel & spiritum cornu cervi, vel ejus liquorem succinatum, utpote testibus experimentis nervis amicrorem, & varia quidem proportione, prout efficacius, vel mitius expetitur medicamentum, vel & circumstantiæ cum principali affectu conjunctæ hoc, illudve præ alio amant, tanquam validum excitativum in morbis s'o allegatis præcedente, ubi quidem illud simpliciter vasculo exceptum vitreo patulo naribus proxime admovent, vel & paucis ejus guttulis spongiolam imbuunt, quæ narium hiatus tum apprimenda est, atque hæc est simplicissima methodus adhibendi hoc oleum, in qua non opus erit determinare dosin, utpote facile subolfaciendam.

b.) Tanquam
antiparaly-
ticum nervi-
num.

§. 17. Alter autem modus usurpandi hoc oleum externe, potest esse sub forma litus, vel linimenti, uti quidem ordinario fit, & adhibetur, non modo in contracturis & paralyt' universalibus, quando scilicet totum corpus in omnibus suis articulis contractum est, paralyticumve, sed & quando particularis talis contractura, sive paralytis individua quædam membra & articulos, vel unicum saltem alterumve forsan corripit. Modus adhibendi est, ut in iis casibus quantitas olei hujus sumatur dimensionis affectarum partium congrua, illa vero applicatur per vices, nimirum excipitur olei hujus tantum, quantum minutum cochlear, quali alias infantes utuntur, capit, caute, nuda manus vola, sic mox affectæ parti circumfunditur, & postea sedula repetitaque frictione totum quantum inungitur; Atque hæc olei affusio & inunctio continuatur per omnem affectæ partis superficiem, ut scilicet virtute olei, quicquid affectum est, bene fruatur. Ipsa vero omnis applicatio hujus olei, quæ hac ratione fit, pro re nata nunc liberalius, nunc parcius est repetenda, sufficere tamen semper eam per diem bis, instituire, ubi nunquam negligendum est, ut affusio longa, & ultra quadrantem horæ ut plurimum protracta excipiat frictione, eaque pannis laneis suscipienda. Quemadmodum vero in utroque casu, & in contracturis & in paralyt', variæ possunt esse complicatæ circumstantiæ

stantia, quæ olei hujus usum non adeo securum viderentur repræsentare, ita de contracturis hoc fere semper valet, quod oleum hoc per se raro tutum foret, dum scilicet fervore suo tantum exsiccando magis & indurando quasi flexiles motrices fibras nocere possit, quantum juvare volatili suo principio; Adde, quod nimis pretiosum esset hoc oleum, si per se ubique suadere illud vellemus, unde igitur ordinario, quando in usum venit externum, de quo jam sermo est, remiscetur cum appropriatis nervinis, antiparalyticis, leniter resolventibus, discutientibus, emollientibus, recenseri autem ex his merentur imprimis: Bals. vitæ Hoffmanni, Axungia Hominis, Castorei, Medulla cervi, Oleum e floribus Slotani, Lumbricorum, Laurinum, & quando dein magis decomposita expetuntur. vel linimenta, vel unguenta, sunt talia e paucis olei hujus guttulis, confusis etiam cum spiritibus, ut spiritu lumbricorum, formicarum, serpilli, lavendulæ, anthos, spiritu matricali, theriacali; Unguenta vero per remixtionem paucarum hujus olei guttularum cum unguento de althæa, nervino Augustanorum, martiato, populeo, ubi quidem circa singula hæc composita bene observandum est: In Contracturis nunquam adeo convenire mixturas illas spirituosas, in paralyti autem nunquam unctuosas & oleosas, ideoque in casu contracturarum semper eligendas esse mixturas hujus olei cum pinguibus & unctuosis corporibus, cujus quidem rei ratio dabitur infra evidentissima.

Possem nunc evagari commode in formulas, quæ determinarent exactius olei hujus proportionem ad miscenda cum eo alia Topica, vel simplicia, vel composita, sed videtur labor hic supervacaneus esse, cum in tot circumstantiarum variationibus lex certa observari possit nulla, puto autem tanto magis superfedere me posse huic negotio, cum hic in generalissimis tantum verfer, nec unquam susceperim, ad specialiora descendere.

§. 18. Egregias etiam operas præstare potest oleum hoc, & eadem quidem ratione adhibitum, qua so monui præcedente, contra quoscunque tumores frigidos, quales sæpe occupant articulos notabiles, quorum commodum usum per longum sæpe tempus magna cum molestia suspendunt, spongiosi ad tactum, hinc fungosi appellati, generibus imprimis præ aliis articulis frequentissime infesti, contra quos

per

c.) Scopore-
solvendi, dif-
cutiendi,
contra quos-
cunque tu-
mores frigi-
dos.

per se usurpatum hoc oleum convenientius erit, quam ullum aliud remediū genus.

2.)
Interne tan-
quam ante-
pilepticum
in primis, an-
ti spasmodi-
cum, subinde
quoque anti-
hypnoticum.

§. 19. Alter olei hujus usus est internus, talis scilicet, ubi deglutiendo intra corpus assumitur hocce oleum; Eo autem modo, quando usurpatur illud, fuit hætenus a potiori datum per se, sine ulla remissione cum aliis corporibus, & quidem quantitate diversa, pro ratione morbi, ætatis, affectuum aliorum complicatorum, temperamentum, reliquarumque circumstantiarum infinitis variantium modis; Ita e. g. contra malum epilepticum, in quo frequentissimus est ejus usus, subjectis decem, duodecimve annorum dantur ab initio quinque ad sex guttæ, hocque fieri solet ordinario mane atque vespere, atque hac dosi post aliquot dies potest etiam ascendi, donec tandem ultimis vicibus æger, vel ægra deglutiatur etiam pro una vice 15. guttas: aliis autem consuetum etiam est, primo statim subjectis minoris ætatis & tenerioribus mox offerre guttas 7. ad 9. iisque gradatim ascendere; hoc tamen adeo non faciunt in Epilepsia, ubi nec tutum satis foret, sed magis in affectibus soporosis, ubi patientes perpetuis corripiuntur, utut brevioribus somnis, iisque passim interruptis motibus spasmodicis & convulsivis, in quibus scilicet observatur, quod non solum hoc oleum tanquam excitativum, & summe volatile principium somnolentiam tantisper suspendat, sed & ipsis spasticis & convulsivis illis impetibus individualibus, qui maxillæ præsertim inferiori musculisque faciei toties insidiantur, strenue sese opponat; In adultis autem licet paulo liberalioribus esse in propinatione hujus olei, etenim in his quacunq̃ intentione oleum hoc in usus trahamus internos, ubi per se offertur, peccare non poterimus, si cum guttis X. vel XII. faciamus initium, tuncque per gradus ascendamus etiam ad guttas XX. Quamquam autem oleum hoc ut plurimum per se propinetur, non tamen absolum exillimo fore, si forte, ubi ejus vires non adeo multæ simul & concentratæ desiderantur, sub forma Elæosacchari quoque, sive sic dictis mixturis antispasmodicis & antepilepticis, antihystericis, & antapoplecticis, sive pulveribus etiam, vel cuicunque placeret medicamentorum compositorum formulæ admisceretur, vel paucissimis guttis, ubi profecto dubium non est, quin dosi etiam exigua non parum sit præstiturum.

Et hæc sunt omnia, quæ de olei hujus usu tam externo, quam interno

interno hætenus certe cognita sunt, & quæ in futurum quoque ab oleo hoc in aliis comparente formis effectus promittunt in Medicina non leves.

§. 20. Jamque ad finem dissertationis propero, ubi quidem pro intentione occupatum me svideo adhuc explicatione *modi agendi* hujus olei, est hæc, quemadmodum circa medicamenta plura, ita & circa hoc passim valde difficilis: interim tamen videamus, quid forte chymica olei consideratio dixerit, collata cum iis, quæ de conditione humani corporis partium, in quas agere medicamentum debet, sciuntur, quæ bina conjungam semper.

Quarta
Dissertatio-
nis momen-
tum propo-
nitur.

§. 21. Dixi primo, posse hoc oleum usu externo venire, tanquam *excitativum*, in quocunque jam casu excitatione opus sit; perpendamus, quomodo agant excitativa? operantur subtilissimis effluviis insolitis, valide odoriferis, quibus celerrime ac extanter olfactorias nerveas fibras afficiunt, quam mutationem non modo ad sensorium commune, sed & per consensum ad omne nervosum systema propagant, ut sic notabili hac & majore sensatione languidum systema nervorum quasi vellicetur, de novo excitetur ad repetendum pristinum vigorem, quacunquæ de causâ suspensum, vel reducatur forsitan etiam præternaturali motu impetuosiore alio per insolita talia objecta naturales ad functiones; atqui vero talia effluvia quam maxime spargit Animale Dippelii Oleum, ut vel simpliciter olfactus quemque docet.

Quomodo
excitativum
sit animale
oleum?

§. 22. Inquiramus jam secundo, quomodo in casu paralysis & contracturæ agat hoc oleum, tanquam antiparalyticum & nervinum? Constat, sæpe paralysis causam solam esse comprimentem in aliquo loco nervum, obstruentem sanguineam, aliudve vas, hacque ratione influxum fluidi nervei, a quo motus partium pendet, suspendentem; quicquid vero causæ sublit, verum semper hoc est, quod partes paralyticæ nervei fluidi non experiantur influxum, sive hoc jam fiat propter causam nervum extus comprimentem, sive intra ipsum hærentem nervum, eundemque, si loqui sic fas est, obstruentem, etenim uterque casus partim ex incisione cadaverum, partim etiam experimentis cum animalibus vivis institutis, perque accedentia casta ratiocinia probabilis reddi facile potest; nam in priore casu, si supponamus causam, nervum comprimentem, qualis quidem ordinario est humorosa, ut sanguis, aliusve corporis nostri liquor, stagnans intra vasa nervis adiacentia, vel iisdem circumposita, vel intertexta, vel quocunque modo contigua, huic fa-

Quomodo
antiparaly-
ticum & ner-
vinum?

cile sese opponere poterit hoc Animale Dippelii Oleum, quod scilicet non modo juxta demonstrata principium in se habet acre, salinum volatile, per omnia penetrans, ideoque per ipsa etiam integumenta communia, cutes, carnes, vasa immixta & subjacentia qualiacunque agere potens, ibidemque hasce interponendo particulas salinas stagnantes humores per modum cunei dividens, incidens, resolvens, fluxiles reddens, ut jam desinant distendendo canales suos continentes nervos adjectos premere, retro locum obstructum prementium humorum vi cedere possint, atque ad universales circulationis leges reduci; sed & principium ex eodem fundamento irritans, stimulans ad validiorem contractionem, quemadmodum e physiologicis novimus, contractilem vasorum vim maximum absolvere momentum in præveniendis, vel futuris, vel tollendis præsentibus obstructionibus; & in hoc præfectim casu paralyfin sæpe oppugnat Animale Dippelii Oleum; aliter autem sese res habet, si causa illa comprimens sit ossea, scirrhusa, callosa, vel alia dura, tales enim utique per oleum hoc tolli non possunt; in posteriori autem casu, ubi paralyfis causa est intra ipsum nervum, a priori olei animalis agendi modus non adeo patet, sed resolvi debet ad generales quasdam observationes practicas, quibus constat: nervos in suis actionibus languidos excitari posse ad repetendas suas functiones per applicita corpora volatilia, salina, acria, quemadmodum novimus in apoplecticis, qui semel atque simul universi systematis nervosi torporem experiuntur, fluida talia vel solis admota olfactoriis nervis vitalitatem sæpe uno fere ictu revocare, itaque poterimus non modo de posteriore casu dicere forsân, quod animale oleum tanquam nervinum agat resolvendo, tollendoque obstructentem causam, intra ipsum hærentem nervum, sed & quod in aliis nervorum vitiis, sive jam laxitatem nimiam & debilitatem eorum tunicarum, sive aliud quodeunque vitium supponas, succurrat excitando fibras nervas ad motum, quacunque de causa, etiam non ab extus comprimente suspensum, ideoque, quod etiam eo in casu, quo non in causam comprimentem agit, aliquid forsân efficere queat, dum scilicet per singularem irritationem & excitationem ad subeundas actiones animales violentiam causæ prementis superat; ex eo autem liquet simul, quod absurdum foret, vanumque, ab oleo hoc effectum sibi promittere in paralyfi, nata forte e nervo prorsus abscisso, & a quo solo paralyticarum partium pendeat motus.

Prone

Prono etiam ex his fluit alveo, quam circa usum hujus animalis olei utile sit consilium practicum a Galeno jam datum, ut scilicet oleum hoc, (faciam enim ejus consilium de omnibus antiparalyticis & nervinis oblatum specialius,) in plerisque casibus non tam applicetur partibus affectis, sed potius subjecto causæ, quod sæpe multum distat a subjecto morbi, quin etiam subinde in opposito latere hærare potest, quod quidem phænomenum e decussatione fibrarum medullarum nervorum explicatur, ergo semper respiciendum est ad originem nervi, unde prodit; cujus quidem cautelæ summam utilitatem plurimis, & illis evidentissimis exemplis demonstrarunt scriptorum observationum practicarum fide dignissimi, quos inter refero præ aliis ipsum Galenum, Aretæum Cappadocem, & Jobum a Mekerem.

§. 23. Neque obscurum est ex his, quomodo in contracturis aliquid, & multum boni præstare hoc oleum possit? cum enim ^{Quomodo} ^{agat contra} ^{contractu-} ^{ras?} hoc oleum nunquam adhibeatur, nisi cum emollientibus, oleosis & pinguibus remixtum decenter, & cum præterea in contracturis eo præsertim sit respiciendum, ut rigida fibræ laxentur, stagnantes humores resolvantur, fluxiles reddantur, & in universum necessaria flexibilitas omnibus affectis partibus restituatur, e priorè §o hujus olei agendi modus elucescit manifeste.

§. 24. Ita & ex antecedentibus conspicuum satis erit, puto, ^{Quomodo} ^{Tumoribus} ^{frigidis sese} ^{opponat?} quomodo hoc animale oleum inservire possit discutiendis tumoribus frigidis quibuscunque, cum enim alacritatem principium acre, fervidum, salinum, idque admodum volatile, ac vel simplici atmosphæra, nedum corporis nostri calore mobile, tumores autem hi nascantur a sero, lymphæque, stagnantibus intra suos canales, vasaque distendentibus, poterit hoc oleum eo principio non modo irritare canales illos ad repetendam naturalem contractionem, qua liquida propellere solent sua, sed & eodem principio tenacibus, viscidisque particulis interposito stagnantes humores attenuare, fluxiles reddere, quin etiam forte paucissima parte phlegmatica, quam vel calidissima possident adhuc olea, ^{Quomodo sit} ^{antihypno-} ^{ticum; anti-} ^{spasmodi-} ^{cum & ane-} ^{pilepticum} ^{interne da-} ^{tum?} easdem ex parte diluere, unde satis evidens est, olei hujus in casu substrato actio.

§. 25. Restat autem nunc difficillimum hujus Tractationis momentum, scilicet: quomodo interne adhibitum hoc oleum operetur?



dixi autem, quod scopo antihypnotico, antispasmodico, & antepileptico cum magna spe possit exhiberi interne; videamus ergo, quid e pathologia primo constet de somnolentia nimia, idque conferamus cum iis, quæ perfecta habemus de olei hujus effectibus in corpus humanam, ut explicetur vis antihypnotica. Quodsi autem accuratè attendimus, quomodo nos in somnolentia nimia, quacunque de causa orta habeamus, deprehendimus: in ea corporis conditione ut plurimum nervosum systema quiescere, neque ullo modo facile ab objectis affici externis, nisi quidem solito multo vehementius agant in illud, acqui vero, ubi oleum, de quo sermo est, propinatur interne, millenis fibrillis nerveis applicatur principium salinum, acerrimum, penetrantissimum, quod eo ipso solito vehementius, quam ordinaria objecta externa in systema hoc agit, huic ergo quies impeditur, & cum ea somnus, dum scilicet tale sibi applicatum principium sentiunt nervi, quod prorsus insolitum est, eosque validissime irritat, somnumque arcet.

Quoad secundam & tertiam olei hujus interne adhibiti virtutem, poterimus facile utriusque explicationem conjungere, ipsa enim mala, contra quæ virtus exercetur, certo sensu non nisi gradibus differunt; Videamus ergo statum præternaturalem humani corporis, qui pathognomicum horum affectuum signum constituit, is autem, si ex effectu ejus concludere licet, est auctus & acceleratus spirituum animalium in partes moventes influxus, isque contra voluntatem, cui tamen solet alias subesse, multoties repetitus, ortus a causa in spasmodis simplicibus particulari, parti affectæ in hærente, in epilepsia ipsi cerebro, nervorumque principiis insidente, stimulante, irritante, perque modum infixæ spinæ agente; quantumcunque autem veritatis huic ætiologiæ pathologiæ insit, sufficit, quod per observationes constet, acceleratum hunc, & anima invita repetitum spirituum animalium influxum, si non tolli ex instanti, tamen suspendi posse per ingesta talia fluida, quæ non modo applicitis sæpius penetrantissimis, fugacissimisque particulis salinis, omnia vel minima perquirentibus, plane novam qualemcunque mutationem, forte majorem nervis inducunt, quæ obliteretur quasi, & præpediatur actio minor, alias metuenda e præsentè adhuc mali causa, quam, utut non cognoscamus, nec impossibile possumus affirmare, subigi forsan per eandem mutationem,

cum

cum certe queamus e medicamento penetrabilitate supponere, quod subiectum causâ attingat; sed &, quæ præterea ope principii ejusdem aliud sibi junctum habent singulare, scilicet sulphureum, id quod magna valde copia præsertim animalibus inest, quod ea quidem facultate sese distinguit ab omnibus aliis corporibus, ut vel ad distantiam olfactoriis nervis diu oblatum, & simul in effluviis inspiratum solo quasi tactu effrenes spirituum animalium compefeat motus, somnolentiam inducat manifestam, & ipsum somnum, in quo juxta superius allegata omne nervosum systema quiescit quasi ab opere; quodsi ergo juxta has observationes demonstraverimus, eadem principia oleo inesse animali, obscurum non erit amplius, quomodo antepilepticas & antispasmodicas præster operas; atqui vero, quemcunque agendi modum supponamus ex his observationibus, facile inveniuntur ejus principia in nostro præsentis oleo, etenim hoc habet in se penetrantissimum, fugacissimum principium salinum, dilutum adhuc paucò phlegmate; quod illud in statu fluiditatis conservat, & simul salinas partes in plures superficies diffundit, ut augeatur contactus punctorum multitudo; habet etiam hoc oleum plurimum in se principii sulphurei animalis, hinc enim est, quod accensum totum quantum cum flamma consumatur instar spiritus ardentis, hæc autem bina principia in oleo hoc sunt arctissime sibi invicem juncta.

§. 26. Atque hæc sunt omnia, quæ de oleo animali Dippelii pro hac vice differere placuit, quæque in præfatione circa illius pertractationem præticurum me promisi; scio quidem, quod potuissem passim multo esse prolixior, sed metuebam, ne hoc admissò & hypotheses accumularem, & limites Dissertationis præfixas transcendere; sufficienter interim hæc, opinor, speciminis Inauguralis loco, quæ faxit iterum Deus, ut cedant in sui Nominis Gloriam, ægrorumque multorum salutem!

T A N T U M!

Nob.

Nob. & Clariff. Dn. Respondenti Auctori
P R Æ S E S.

Differtationem hancce Tuam, sub meo, quod expetiisti, Præsidio ventilandam, legi relegique. Anceps diu hæsi, num talem relinquere, an vero limæ chymico - medicæ subijcere fatius sit? Ne quid enim diffitear, ubique Tecum sentire non potui. Alia etiam magis confirmanda, alia clarius ampliusque deducenda videbantur. Denique tamen constitui, intactam potius abs me relinquendam esse totam, quam nexuisti, compagem? Idque partim ideo, quod minime contemnendum scientiæ Tuæ ac experienciæ chymicæ non minus ac medicæ hinc inde sisteret specimen, amplissimamque & opponendi & respondendi suppeditaret in futuro conflictu occasionem, partim, ne mea interpolatione vel inæqualem redderem stilum, vel ordinem circulosque Tuos turbarem, vel ita immutarem, ut quid Tuum, quidve meum sit, ambigatur? Pauca tamen subijcienda putavi, ad rem non minus, quam mentem meam ulterius illustrandam atque declarandam.

Itaque, cum dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ, primum addo, quæ hujus olei animalis Auctor Dippelius ipse habet, sub fucato & adoptitio quidem nomine Christiani Democriti, M. D. in libello, quem inscripsit: *Vitæ animalis morbus & medicina &c. in 8. Lugd. Bat. 1711. p. 89, 90. 93. & quidem p. 90. ita fatur: Est illud oleum destillatum, & separatum a suo sale, ex animalis partibus quibuscunque, ex cornuta sine ullius rei additione eo usque rectificatum, donec nihil adustarum secum nigrarum amplius in fundo relinquat, quod vel quindecim ad minimum repetitionibus obtinetur. Istud, pergit, oleum guttarum*

guitarum 30. vel 40. pondere ante paroxysmum, jejuno stomacho exhibitum, somno dulci & nulla narcosi suspecto, febres sepelelit. Saporem gratum & aromaticum ipsi adscribit, sed grave-penetrantem odorem: Et p. 80. deprædicat, se unica saltem administrata dosi, solvissè omnes omnino febres intermittentes, & quidem operatione fatis mirabili: somno enim hinc correptos decumbentes & protracta per horas nonnunquam quindecim dulci quiete, florescente & vivido faciei colore conspicuos, frustrantesque paroxysmum, sanos resurrexissè, de non recursum hoste securos. Imo eadem stupenda vi somnifera in ægrotis, cum sanis nullum omnino somnum inducat, sopivissè convulsionum miserandarum tragœdiam, qua a ger libero aère quasi suspendebatur, mentis & sensuum, etiam extra paroxysmum, impos, & creditus a cacodæmone agi: Inducto enim somno triginta horarum incolumemstitissè ægrum, loquela & intellectu simul redintegratis, & omnibus medicis, qui operam locaverant, una cum præsentibus aliis quasi attonitis, ac tum de veritate lapidis philosophici & medicinæ universalis fere persuasus, licet vilissimum & objectum Pharmacopœis fuerit medicamentum. Porro autem commendat ad lithiasin, arthritidem vagam & fixam, ganglia, tumores cysticos, polypos, usu in- & externo p. 91. & 93. quin in universum ad maximam partem morborum coagulantium, uno quasi ictu, cito, tuto & jucunde amputandorum, extendi posse prætendit p. 90. si olei hujus saporis grato & aromatico corresponderet odoris grave penetrantis conditio.

Videtur Dippelius ultima hac limitatione non præcidisse vel restrinxissè, ob graveolentiam hujus olei, virtutes ejus, sed innuissè saltem, quod ^{id} jucundum in curatione non æque locum inveniat, ob odoris gravitatem; quam tamen plurimum diluit largius vehiculum, illud-
que

que alio simul & suavius olente imbutum odore, imo repetita sæpius rectificatio mirum quantum emendat. Cæterum (ut alludam ad Vespasiani effatum,) convalescentiæ bonus odor est e medicamento quovis, etiam foetidissimo!

Inventionis laudem hæctenus nemo detraxit Dippelio, illi heteroclitico capiti, quod Theologi non modo, sed & Medici recte vocaverint cum Boerhaavio, Chem. T. I. p. 756. quamvis diu ante eum Lullius, Hollandus, Helmonrius &c. talia jam descripserint olea animalia ætherea, & post eum Fr. Hoffmannus, Boerhaavius, Teichmeyerus, maxime vero Junckerus & Abrah. Vaterus data opera, sint profecuti. Celeber. Junckeri atque Vateri disp. illas de oleo hoc animali ad manus mihi non esse doleo.

Alterum momentum, quod tangere decet, re bicit materiam, unde parari debeat hoc oleum animale Dippelii. Is quidem ipse Auctor quascunque animalis partes infervire huic præparationi statuit. Apud nos præfertur hucusque cervi sanguis. Nec forsitan immerito. Nam dubitatum perinde sit futurum, seu ex homine, seu cervo, seu apro, seu bove, & quamcunque sive solidam, sive fluidam partem pro materia destillationis assumamus. Cogitata, quæso, diversas horum animalium qualitates, diversum nutrimentum, diversam ex eodem animali variarum & liquidarum & solidarum partium naturam. Annon diversa hinc prodibunt educta chymica? Diversa, si non omnia statim prima fronte; & adeo manifestis qualitatibus, tamen in recessu & viribus varia.

Salis quidem alcalini, ad ammoniacalem proxime accedentis indolem, oleique alcaliscentis est per ignem ex animalibus ubique proventus, & summa vis ignis univocam videtur omnibus inferre mutationem. Sed olea tamen destillata vegetabilium ætherea non modo notabiliter inter se differunt indole, textura, gravitate, viribus: ipsi carbones, eundem

eundem ignis gradum passi, pro lignorum varietate differunt dotibus atque viribus; sed etiam spiritui, e pilis humanis destillato prærogativam tribuit Gläuberus, præ omnibus aliis, ex animalium partibus præparatis, solvendi sulphur commune & commutandi in lac, quod in sanguinem possit maturari, ut ipse loquitur: Ipsum sal volatile, quod copiosissimum & albidissimum in hac olei animalis Dippeliani præparatione, e cervi sanguine, lateribus retortæ ac recipientis adhæret, gustu ac odore testibus videtur subtilitate ac penetrabilitate multum superare Sal C. C. volatile, e cornibus, aliisque partibus paratum. Delitescunt fortasse dotes in oleo animali Dippeliano, quæ recensitis in Tua dissertatione §. 13. nondum sunt detectæ experimentis, quibus ergo plura possent & deberent subungi, e. g. hydrostatica, per reagentia, cum H_2 fumante &c. ac ipse usus variorum talium oleorum in- & externus, homini sano ægroque adhibitus, facta singulorum, §. 10. abs Te allegatorum, oleorum empyreumaticorum sedula observatione & comparatione cum O_2 Dippel. e sanguine cervino.

Mirabuntur mecum alii, quod ne quidem O_2 empyreumaticum e fecibus vini exsiccatis, abs Te diversum sit reperitum ab oleo nostro animali, cum tamen in proapatulo sit, olea vegetabilium destillata, magis acida, animalium magis alcalina, illa etiam longe esse subtiliora & penetrantiora vegetabilibus. Vid. Fr. Hoffm. in obs. chym. p. 56. & f. Sed jam tertio incidit cardinalis quæstio: An tot opus sit olei Dippeliani rectificacionibus, 15. 30. immo 40. ut nonnulli præcipiunt? Duas sufficere Tu putas, Nobiliss. Dne. Candidate. Sed hæc præcisio nec formulæ aut præscripto Auctoris respondet, nec subtilitati ac penetrabilitati aliisque dotibus, quæ experuntur, sufficit. Celeber. ac experientiss. Chymicus atque Medicus, Fr. Hoffmannus in Obs. physico-chym. p. 58. notat, quod destillata ex omnibus animalium partibus olea, crebra & repetita rectificacione, ad

D

tantum

tantum subtilitatis gradum evehi possint, ut aliquando majori dosi exhibita, gravissimis & inveteratis morbis radicibus extirpandis apta evadant. Unde & ipse jubet hoc oleum animale ultra duodecim subire rectificationes, illudque sic paulatim & successive odore suavius & sapore penetrantius effici observat. Celeber. pariter Boerhaavius, Chym. T. 1. p. 755. docet, olea hæc per repetitas rectificationes fieri sensim subtiliora, minus lenta, magis fluida, magis perspicua: ubi vero in decimam quartam usque aut & ultra vicem repetantur, alia semper haberi, ut tandem meabilia, anodyna magnorum morborum fidissima habeantur præsidia. Huic experientiæ possemus facile rationes addere, nisi properandum esset.

Quarto enim nunc quæritur: An rectificationis ultimæ hoc quasi sit punctum saturationis ac sufficientiæ signum, si, quod ex mente Auctorum supponis §. 8. sed & rejicis & exhibitas, nihil prorsus fecum relinquatur in retorta? Notandum vero est, quod neque Dippelii, neque Fr. Hoffmannus, neque Boerhaavius dicant, in ultima rectificatione plane nihil fecum, vel capitis mortui, aut cujuscunque aliter vocandæ materiei, a sincero limpidissimoque, quod ascenderit per retortam alienæ, in hujus fundo relinqui. Ambo enim priores Viri, eisdem plane disertisque verbis, eo usque saltem inculcant repetendas esse rectificationes, donec nihil adustarum fecum nigrarum amplius in fundo retortæ relinquatur: Boerhaavius autem Chem. T. 1. p. 755. §. 3. destillationes modo ad siccitatem usque commendat, vasis quam accuratissime clausis, & sic terram quidem relinqui, ipsa autem olea sensim fieri subtiliora monet. Ast Teichmeyerus, Instit. Chemiæ p. 103. sic habet omnino, ut in §. 6. hujus Tuxæ Disput. allegasti. Unde dispalescit, Ipsum statuere, oleum hoc animale tandem quoad totam suam substantiam ascendere, nullamque in fundo retortæ impuritatem relinquere. Non dissiteor, & me hæctenus in repetitis hujus olei rectificationibus semperprehendisse crassius tinctiusque quoddam sedimentum, in prioribus rectificationibus fluidum magis, in subsequis siccum magis, tenax, arcte adhærens fundo retortæ; Illud ipsum fluidius sedimentum caute observandum est & tractandum in destillatione, ascendit enim utique adhuc, sed brunei coloris, atque sic in recipiente jam prius collectum oleum limpidissimum statim & notabiliter vel unica guttula suo inficit tingitque colore. Unde ergo tempestive puri olei collecti quantitas est semovenda, & e recipiente effundenda pro as-

servatione,

servatione, vel aliud adaptandum retortæ recipiens. Observavi tamen pariter alterum illud sedimentum siccius atque tenacius non referre exultum quasi carbonem & caput mortuum, sed resinoso-piceam materiem, eamque NB. post singulas rectificationes quantitate semper minorem, sic, ut e.g. ex olei animalis, e sanguine cervino parati, ante annum fere septies, recentissime vero, propter contractum ab eo tempore bruneum colorem, duobus consecutivis diebus bis iterum rectificati sine ulla additione, drachmis sex decesserit vix dimidius serupulus per hoc residuum in fundo retortæ. Hinc ergo non saltem patet, hoc oleum posse rectificari citra fecum adustarum remanentiam, sed etiam mediante lento, non admodum forti carbonum igne, in retortis vitreis minoribus, collo satis declivi præditis, eoque versus recipiens vas magis inclinato, sic caute urgeri, ut sub ultimis rectificationibus perparum, & vix sensibilis portio remaneat in retorta: Vel tandem plane nihil. An ignis solaris, purior & æqualior, ad hunc effectum præferendus, & quomodo sit adornandus? hæc vice transimus.

Quinto, quod vires, usumque hujus olei Dippeliani spectat, plurima supereffent dicenda. Verum contrahenda sunt vela. In eo totus Tecum facio, quod laudatissimis hoc oleum polleat viribus resolvendi, discutiendi, roborandi. Toties ipse ad usum hujus olei, ceu sacram anchoram, confugi in diris ac diuturnis affectibus spasmodicis, convulsivis, epilepticis. Unde est, quod a viginti fere annis, in nostra intulerim pharmacopolia excellentissimum hoc remedium. Quomodo autem virtus hypnotica, s. somnifera & anodyna, quam Dippelius, Hoffmannus, Boerhaavius, Junckerus aliique observarunt atque laudibus extulerunt summis conciliari possit cum anti-hypnoticis & excitativis viribus, in soporosis affectibus, quas § 19. tribuis, in conspectu videbimus? Annon aliqui speciose opponent? vel inde satis prodi notabilem differentiam olei animalis, Tua methodo destillati ab oleo, quod multo pluries rectificatum in usum duxit Dippelius. Sane, quæ hic postliminio in memoriam incidunt, atque momentum hujus epilogi secundum quoque tangunt, observationes D. D. Mollerii, in Collect. Uratislaviens. An. 1721. mens. Jun. artic. 2. p. 661. seqq. arguunt aliquam differentiam olei, e sanguine cervino parati, ab simili e C. C. parato, quale laudatus D. Moller propinavit febricitantibus & epilepticis, sine illa somni longioris eventu, imo in quadam epileptica cum subsequis post singulas olei doses vomitibus,

D z

mitibus,

mitibus, epilepsia vero non penitus sublata? Ego longum placidumque illum somnum, quem alii depædicant, ab hoc oleo nondum vidi consecutum. Sed neque tanta dosi, guttarum np. 20. 30. vel 40. quæ præcipitur a Dippelio, atque aliis, hæctenus exhibui. Substiti enim intra quantitatem 10. 12. vel 15. guttarum pro adulto, & repetitis dosibus effectum, quem desideravi, a potiori nihilominus obtinui, quamvis nullus successerit somnus extraordinarius.

Nuperrime vero demum tentavi multo majorem olei animalis hujus dosin, exhibendo ejus ʒβ. in aq. ceras n. ʒiv. epilepticæ mulieri, quæ circa vesperam hausta hujus mixturæ dimidia portione duobus consecutivis diebus neque statim, neque illa nocte somnum hinc iniiit extraordinarium, imminentem vero paroxysmum epilepticum feliciter profligavit, & miram corporis animique consecutum alacritatem satis dilaudare vix potuit: *Es seye Ibro ihr lebtag niemalen so wohl gewesen.* Oleum animale heic adhibuimus, quod ante annum fere pluries jam erat rectificatum, sed ob colorem & foetorem empyreumaticum, quos denuo contraxerat, duabus iterum recentissime subjiciendum rectificationibus curavi. Præbuit hujus olei ʒβ. sexaginta guttas, studiose numeratas.

Denique sexto, cum revera, limpidissimum ac pellucidissimum licet hoc ol. animale quotcunque rectificationibus redditum, tamen ab aëris vel minimo accessu brevi obscuretur & in bruneum transeat colorem non modo, sed & gravius oleat empyreuma, imo, quod magis est, de vi sua penetrante non parum hinc amisisse videatur; Itaque parata optimæ notæ hujus olei quantitas in plura dispertienda est vitra minora, ʒij. vel ʒβ. capientia, angusti colli, hæcque vel hermetice sunt sigillanda, vel obturaculo vitreo, debite in hanc rem adaptato, arctissime occludenda, ceræque insuper sigillatoria ac vesica munienda ac obducenda, nec non in loco frigidiusculo jugiter asservanda. Quod vero, successu temporis, a sua limpiditate descevit oleum, nova rectificatione, una alteraque prius est corrigendum, quam adhibeatur in usum, maxime internum. De liquore spirituosofalino & oleoso, de sale volatili subtilissimo, quos hæc rectificationes una præbent, tacere jubent limites epilogi. Quare nunc desino in vota precesque pro omnium Tuorum laudabilium conatum, praxisque clinicæ felicissimo successu, Te que valere jubeo!

FINIS.

00 A 6326 (1)

VD 18


ULB Halle

3

004 103 416







40

OLEUM ANIMALE DIPPÉLII.

PERMITTENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
PRÆSIDE
BURCARDO DAVIDE
MAUCHART,
MED. ET CHIR. D. CONSIL. ET ARCHIAT.
WIRTEMB. AC MED. ANAT. ET CHIR.
PROF. ORD.

DISPUTATIONE INAUGURALI
PRO LICENTIA

Honores ac Privilegia Doctoralia rite consequendi
illustrabit

RESPONDENS
CHRISTIAN. LUDOVICUS REINHARDT,
Ebertingensis.

D. *Nov. A. MDCCXLV.*

TUBINGÆ,
Literis BAUHOFII & FRANCKII.